



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**In Vaticinia Isaiae, Prophetae Clarissimi, Paraphrasis,  
Heroico carmine conscripta**

**Carpenteius, Joannes**

**Antverpiæ, 1588**

Cap. 25.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68688](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68688)

*Quam sua robustus tollit magalia pastor,  
Cum lux, nocte obita, nouu iter, noua pascua monstrat,  
Nempe sua hos illi casus, & funera, dira  
Impietas pariet, cunctorum causa malorum.*

*Quinetiam pictis variantia signa figuris,  
Iussa suos olim decurrere quaque per orbis,  
Insigni specie, miro ordine, lege perenni,  
Qua non vlla acies superis ornatior auris  
Militat, egregium cali versatilis agmen,  
Sede sua pellet, celoque fugabit ab alto.*

*Quotquot & inferior colitur legionibus aer  
Spirituum terras inter lunamque vagantum,  
Perpetuos nostri (fas credere) sanguinis hostes,  
Principites actos, & caco carcere clausos,  
Sulphureoque lacu mersos, Deus ultor in unum  
Constringet veluti fascem, arsurumque manipum,  
Ignibus arsurum aeternis sine fine manipum.*

*Tum quoque Sol vultum confusus & ora rubore  
Sanguineo signata soror, decus armipotentis  
Horrebunt regale Dei, cum nubibus altis  
Innectus, celebrique senum comitatus ouantum  
Agmine, ius sancta cum maiestate supremum  
Dicturus, Solymis, celsaque Sione sedebit.*

**Cap. 25.** *Propterea te sancte parens, te magne canemus.  
Arbiter humani generis, iustissime iudex.  
Tu mihi carmen eris, vita o melioris origo  
Principiumq; nouae. Te, te, nomenque tremendum,  
Et caelo & terris, digno celebrabimus hymno.  
Tu Deus, a primi nascentis origine mundi  
Tempus ad hoc nostrum, solus miracula magna  
Patrasti, aitoniti que suspexere parentes,  
Tu quascunque sacro leges semel ore tulisti,  
Et quacunque tuo decresti pectore fata,  
(Vera loquor verus) fixa, atque immota stetere  
Semper, & haud ullis variarunt irrita saeculis  
Nam simul insonuit tua vox, pulcherrima mundi  
Turrigeri facies, tam longo immobilis aeo,  
Tot basibus stabilita, tuis labefacta lacertis  
Nil nisi inaequales tumulos, nil prater aceruos.  
Ruderaque ornatu de tam florente reliquit.  
Tu pater, elisis iaculatus nubibus ignem  
Munitas urbes, praeinctaque mœnia fossis  
Et turres, castellaque fulmine deiecisti,*

Futurata-  
quam prete-  
rit suo more  
canit, quod  
ferè omnes  
Prophetæ v-  
turbant.

**21** *Eterit in die illa:  
Visitabit Dominus  
super militiam celi in  
excelsi, & super reges  
terræ qui sunt super  
terram.*

**22** *Et congregabuntur  
in congregacione ve-  
nius falcis in lacum.  
Et claudentur ibi in  
carcere, & post mul-  
tos dies visitabuntur.*

**23** *Et erubescet luna  
& confundetur sol: cu[m]  
regnauerit Dominus  
exercituum in monte  
Sion, & in Ierusalem  
& in conspectu seni  
suorum fuerit glorifi-  
catus.*

**Cap. 25.**  
*1 Domine, Deus meus  
es tu, exaltabo te &  
confitebor nomini tuo.  
Quoniam fecisti mi-  
rabilia, cogitationes  
antiquas fideles. Amē*

**2** *Quoniam postisti  
ciuitatem in tumulo,  
urbem fortem in rui-  
nam: domum alieno-  
rum ut non sit ciui-  
tas, & in sempiternu[m]  
non aedificetur.*

Hoc

Hoc ipso telo tonitrūque flagravit eodem  
Ingens illa domus, qua non populosior vlla,  
Arx alienigena gentis, scelerum impia sedes;  
Quæ deleta semel, nullo instaurabit ævo.

3 Propter hoc laudabit te populus fortis,  
ciuitas gentium robustarum timbit te.

Iure tuas igitur landes inuicta sonabit  
Militia & pubes, animis quæ fortibus ausa est  
Signa sequi tua, & aduersas contempnere partes,  
Felix ille virum cætus, quos robore duro  
Ter triplicique ære armasti, te semper amabit,  
Et meritò colet, & prono reuerebitur ore.

4 Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua: Spes à turbine, vmbra culum ab æstu. Spiritus enim robustorū quasi turbo impellens parietem.

Namque illis validas misisti in pectora vires,  
Cùm res angusta premerent, cùm turbine saeuo  
Iactati, sortem immerito paterentur iniquam.  
Tu portus, tu spes in tempestate fuisti,  
Vmbrâque feruentes aduersus frigida soles:  
Non etenim per se tam saui incurribus hostis  
Esse pares poterant, nisi tu pater alme tulisses  
Auxilium præsens: nam sicut robora, ni sint  
Altè fixa solo & firma radice ligentur,  
Turbo rapit diuisa iugis, vertitque ruitque;  
Sic nisi munierit nostrum constantia peccus  
Viuida (sancte tuum ô genitor constantia munus)  
Labimur impulsu primo, nec surgere lapsis  
Spes vis-ve vlla super; ni tu porrexeris alto  
De celo dextram, præstoque cadentibus adsis:

5 Sicut æstus in siti, tumultum alienorum humiliabis. Et quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere facies.

Quod facis, & facies semper, ter maxime diuūm,  
Non secus indomitos pollensque potensque tyrannos  
Vimque superborum rectæ rationis egentem,  
Consiliique boni expertes infringere vires,  
Quam per hiulca siti riguisq; carentia lymphis  
Arua, viatorem canis & stifer vrit anhelum,  
Aut vitem teneram rapido necat igneus astro.

6 Et faciet Dominus exercitum omnibus populis in monte hoc conuiuum pinguiū: conuiuum vinde-miae: conuiuum pinguium medullatorū: conuiuum vinde-miae defecatae.

At postquam manes demersa morte sub imos,  
Ius nullum Satanas vincis oneratus habebit,  
Armipotensque Deus partiam pace, renati  
Iamque repurgati suscepit orbis habenas,  
Tum populis sanctum hunc in montem rite vocatis,  
Insignem insigni pompa comitante triumphum  
Iure suo celebrans, epulum regale parabit,  
Magnifice structis per mille triclinia mensis,  
Apponetque dapes, obsonia pingua, lectas  
Plurima permiscens cena decus adiicialis  
Fercula, mellitâque medullatâque placentas.

Domum alienorū hoc loco intellige ecclæsia & cœliabula impiorum: vnde septuag. verte-runt, ciuitate inimicorum. Ecclesiæ que militarat iam regnantis in Deum suum laudes.

Adiicialis coena dicebatur cui semper a liquido per nouos missus adiecebatur, cui apertissimè comparari potest gratia Dei.

Et

*Et genus omne nouæ bellaria lautitiae,  
Vinaque fusa cadiis bene defecata picatis,  
Largus opum promet sine more modoque suarum.*

<sup>7</sup> *Hoc ipso quoque monte, sacræ post singula pompe  
Fercula, per lœtum faustis prælata triumphum  
Omnibus, currum pileata sequetur eburnum  
Turbavirum, laqueo ceruicem & brachia tristis  
Torta catenati, iam dudum ab origine prima  
Quos Deus uno omnes edicto soluet, & illud  
Ingens, horrendum, nulloque domabile ferro,  
Ipse sua scindet vinclum fatale securi,  
Et funem abrumpet, textique ligamina lini,  
<sup>8</sup> *Aeterno damnans \* absorbtam carcere mortem.  
Tum luctus, gemitusque procul, fletusque facessent,  
Nullæ oculos lacrymæ, nullus confusa notabit  
Orarubor, Deus hæc Deus una eademque litura  
Deterget: procul opprobrium, atque infamia turpis,  
Triste procul toto decedet dedecus orbe.  
Hæc rata erunt: Deus est cælo qui fatur ab alto.**

<sup>9</sup> *O qui plausus erit populi sua dona, suaque  
Tum demum agnoscens opes! En (scilicet) ille,  
Ille Deus (dicent) noster, qui vota suorum  
Irrita, nec rapidis spes nostras tradidit austris.  
En Dominus Deus, ille Deus, quem profuit arctis.  
Fortiter in rebus diro expectasse sub hoste.  
En nostræ pretium fidei, mercésque laboris:  
Iam præsto est promissa salus, eterna voluptas,  
Qua fruimur magni præclaro munere regis,  
Veriloquique Dei, miranda potentia cuius  
Omnibus hoc ipso sæclis in monte canetur.*

*At vero aduersas (que plurima turba) phalanges,  
Ut paleæ tenues plaustro crepitante teruntur,  
Comminuet Deus armipotens, "frustra natantum  
In morem, nunc hic, nunc illuc fessa vici sim  
Brachia iactantes sternet: tum gloria vestra  
Occidet, ô reges, fastisque abrasa vetustis,  
Et tituli, "atque arcis, & latus mænia fossis  
Vallata, in cinerem & fumum soluentur inanem.*

**Cap. 26.** <sup>1</sup> *His demum exactis, que cunque vireta tenebunt  
Fortunatorum nemorum, sed eisque beatas,  
Purus ubi campis pluvio sine turbine ventus  
Spirat, & eterna ver immortale inuenta,  
Felices animæ, fati votique potentes,*

<sup>7</sup> *Et præcipitabit in  
monte isto faciem  
vinculi colligati super  
omnes populos: & te-  
lā quæ orditus est su-  
per omnes nationes.*

<sup>8</sup> *Præcipitabit mor-  
tem in sempiternum.  
Et auferet Dominus  
Deus lacrymam ab  
omni facie: & oppro-  
brium ab vniuersa  
terra: quia Dominus  
locutus est.*

<sup>9</sup> *Et dicet in die illa:  
Ecce Deus noster  
iste; expectauimus eū,  
& saluauit nos. Iste  
Dominus; sustinui-  
mus eū, & lætabimur  
in salutari eius.*

<sup>10</sup> *Quia requiescat  
manus Domini in  
monte isto. Et tripu-  
rabitur Moab sub eo,  
sicut teruntur paleæ  
sub plaustro.*

<sup>11</sup> *Et extendet manus  
suis sub eo, sicut ex-  
tendit natans ad na-  
tandum: & humiliat  
gloriam eius cum  
afflitione manuum eius.  
12 Et munimenta sub-  
limum murorum tuo-  
rum concident: &  
humiliabuntur & de-  
trahentur in terram  
usque ad puluerem.*

### Cap. 26.

<sup>1</sup> *In die illa cantabi-  
tur canticum istud in  
terra Iuda; Vrbs for-  
titudinis nostræ Sion:  
Saluator ponetur in  
ea murus & antemu-  
rale.*

O

Non